

## † R. P. Eduardus Foreitnik.

*(Prov. Vindobon.).*

## † R. P. Eduardus Foreitnik.

*(Prov. Vindobon.).*

Dum P. Janauschek, de quo supra diximus, novem menses aegrotus decumbit ac tandem mortuum omnes plangunt, P. Foreitnik, quamquam ad reficiendas vires corporis ante quinque fere annos in Daniam missus erat, invictus viribus omnibus in vinea Domini laborare pergebat, cum ecce telegrapho superiori provinciae mors eius nuntiatur, priusquam litterae de illius morbo ad eum datae cursu publico consueto perferri potuerunt. Mors paene subitanea haec fuit, sed certe non improvisa.



Moraviae in vico Čejč P. Foreitnik natus est die 8 mensis iunii a. 1876 loco non nobili aut divite, at parentibus piis honestisque, qui liberis suis adhibuerunt educationis curam accuratam. Ex omnibus germanis suis Eduardus, quamquam non natu maior, et ingenio et indole elucere visus est. Cum prima litterarum elementa in patriae schola didicisset, anno 1886 adiuvante cognata quadam Vindobonam petiit, ut studia humanitatis inciperet, quia tum iuvenatus noster primo humanitatis anno caruit. Autumno autem anni 1887 iuvenatum Katzelsdorfensem ingressus est. In studiis progressus bonos fecit, ordinis autem morumque exemplo sodalibus fuit, qui puero parvo, sed severo contionatoris iocosum nomen imposuerunt. Sexto humanitatis anno peracto noviciatum ingressus magistro P. Janauschek die 2 mensis augusti votis religiosis se obstrinxit. Quia autem necessitate et Patrum inopia cogente clericus in iuvenatu lectorem agere debuit, postea vero infirmitate retentus est, duobus annis post aequales suos ad gradum

sacerdotii ascendit, de qua re sane ardua ipse numquam conquestus est. Viginti quinque annos natus ordinatus est sacerdos, et viginti quinque annos laborum plenos Deo propitio in sua ipsius anima excolenda proximorumque salute curanda operatus est.

Indoli eius gravitas quaedam et animi veritas insita erat, quam nobilis fidei spiritus ornabat. Inde pietas praecipua orta est et assiduum precandi studium. Si ad altare eum sacrum facientem vel deinde in gratiis Deo agendis immersum videres, magnam de hoc homine opinionem concepturus eras, cuius vultu mens piissima in Deum demersa conspiciebatur. Ex hoc autem fidei spiritu animus acer operandi virtutem hausit, cum se sodalem Congregationis SS. Redemptoris et sacerdotem ad salutem pervenire non posse cognosceret nisi animarum ope sua sive servatarum sive ad perfectionem deductarum agmine sequente. Inde sancta quaedam pertinacia orta est, qua cum ingenii in rebus componendis et ordinandis dexteritate coniuncta magna incepta ad felicem exitum perduxit. Quo animarum Deo lucrandarum studio ductus sit, parva quidem, sed propriaeius indolis re gesta illustratur. Cum ultimis vitae annis olim in Dania e vico quodam ad stationem viae ferratae curru veheretur, comes eius homo catholicus multos liberos ibi institutione religiosa carere narravit. Qua re animus P. Foreitnik maerore occupatus tenebatur, et cum homo sermonem deflectens de aëris temperatione loqui incepisset, ille « Eia, caeli temperationem! », inquit, « Nihil refert, sed eheu liberos miseros, liberos miseros! ».

Primam studiis theologicis absolutis stationem in collegio Hernalsensi egit. Ibi Bohemorum praesertim curam habuit, qui numerosi in ecclesiam nostram conveniunt. P. Foreitnik, quamquam de familia bohémica oriundus, longa tamen desuetudine facilem illius linguae usum perdiderat. At constans assiduitas mox victor fuit. Urbanae plebis conversatione, praesertim cum saepe ad aegrotos s. sacramentis muniendos vocatus esset, mox cognovit, quam tristis crebro in ea morum condicio esset, imprimis cum permulti iusto matrimonio non iuncti in nefasto contubernio viverent. Perspicieus igitur hac in re innumerorum hominum salutem verti, cogitare coepit, quomodo his hominibus succurreret, qui saepe quidem animi levitate, haud raro autem etiam paupertate et rerum a lege praescriptarum difficili procuratione ab ineundo iusto matrimonio detinebantur. Cum igitur ipse non paucis paribus viam stravisset, videns rem non sine fructu esse, simul autem cognoscens se solum parum proficere posse, adiutores quaerere coepit, et non solum inter sacerdotes, sed praecipue inter homines laicos ipsasque mulieres, quia laicis saepe facilius aditum in domos patere sensit, quo sacerdos non tam facile penetrat. Deus providens matronam quandam Antoniam Kaserer ei adduxit, cuius ope assidua et utili-



tatis suae immemori sociorumque et adiutorum numero aucto concubinatus in dies plures in iusta matrimonia mutari potuerunt.

Anno deinde 1908, ut res certo fundamento niteretur et ordine stabili componeretur, sodalicium institutum est iuvandis matrimoniis christianis (*Hilfsverein für christliche Ehen*), ab auctoritate tum ecclesiastica tum civili probatum et praeter Beatam Virginem sub patrocinio S. Clementis M. Hofbauer Vindobonae apostoli positum, ad quorum ecclesiam Hernalesensem ortum habuerat. P. Foreitnik praesidis locum illi matronae Antoniae Kaserer committendum curavit ipse, ut erat modestus et humilis, sodalicio a consiliis esse contentus. At operis, ut ita dicam, anima fuit. Illud vero tam stabile iam factum erat, ut P. Foreitnik ad tempus Vindobona abesse posset.

Anno 1908 Budvicium missus est annoque sequenti Romam migravit in scholam maiorem tum institutam, ut ibi iuris canonici usum disceret. Romae per P. Losito ad Pium PP. X f. r. aditum habuit, cui operam Vindobonensem commendavit. Et Summus Pontifex opus non laudavit tantum, sed gratiis spiritualibus pretiosis auxit (Conf. Beringer-Steinen, *Die Ablässe*, II, num. 299). Vindobonam anno 1910 reversus sodales diligentissimos invenit. Puella quaedam in fabrica operaria uno anno septuaginta paria ad iustum matrimonium perduxit, alia non minus humilis conditionis uno anno, ut centum, altero centum et quinquaginta concubinatus tollerentur, perfecit.

Sed sodalicium non solum ad nuptias homines illos duxit ducitque. Post nuptias non omittit curare, ut officia hominum catholicorum obeant, et pulchros etiam huius operae fructus iam vidit. Multos praeterea, qui nondum confirmati sunt, adultos ad s. chrisma adducit, eis de patris vere catholicis providet curatque, ut malis usibus evitatis patrini officia suscepta impleant. Multi etiam haeretici et apostatae atque iudaei, ut iusta matrimonia inire possint, ad veram Christi ecclesiam perducuntur vel reducuntur. Et P. Foreitnik, qui Roma reversus laborem statim repetierat, vix umquam hominum ad fidem catholicam convertendorum frequentia non erat occupatus. Ita usque ad annum 1922 fere 2.000 apostatarum, haereticorum, iudaeorum, schismaticorum, mahometanorum ad Christi ovile perducta sunt.

Quid plura? Ab anno 1908 ad 1923 sodalicio iuvante 22.130 matrimonia inita sunt, quae sine eius ope concubinatus essent. Hac re praeterea fere 25.000 liberorum iura natalium legitimorum adepti sunt. Multorum parvulorum educatio in orphanotrophiis aliisque litterarum ludis in tuto posita est. Sed omnia enumerare per spatium non licet. P. Foreitnik vero praeter hoc opus etiam alia salutis animarum opera vel condidit vel direxit, ut magnam ancillarum christianarum consociationem, missionem, quae dicitur, stationum viae ferratae. Sodales autem operum



suorum non solum ad operam bene praestandam instruebat, sed prae omnibus rebus eos vera pietate imbutos esse voluit. Ideo saepe ad exercitationes spirituales, etiam per octo dies, habendas eos congregavit. Plurimi eo animarum suarum moderatore utebantur.

Omnino autem P. Foreitnik numquam se prae ceteris rebus sacerdotem et S. Alphonsi filium esse oblitus est. Domi in confessionali et in pulpito assiduus fuit, neque umquam tempus praescriptum neglexit. Saepe etiam in missionibus laboravit. Ante bellum ortum saepius regiones Germaniae ad septentrionem vergentes petiit, ut ibi degentes Bohemos, gentem vere derelictam, colligeret et verbo Dei sacrisque sacramentis missionis more pasceret. Exercitationibus spiritualibus innumeris praefuit. Et ubicumque comparuit, acceptissimus erat. Archiepiscopus Vindobonensis Eñus Card. Fridericus Gustavus Piff, praesul egregius, maxima eum observantia coluit.

Et in omnibus his laboribus apostolicis hominis religiosi officia prima semper executus est pietatis exercitationes nobis praescriptas fideliter servans, orationis spiritu et Congregationis amore flagrans. Et quamquam tanta suscipiebat, quae nemo alter susciperet, a superioris nutu pendere visus est, nihil nisi superioribus expositum et ab eis probatum suscepit.

Mirandum summopere erat, quod corpus eius gracile et exiguum tot labores tolerare posset. Sed animus Deo sane iuvante imperare visus est. Nervorum vis autem denique eum defecit. Quietē curaque quidem se recepit, at duobus fere annis post superiores eum iterum laboribus fractum ab opera urbana removendum esse cognoverunt, ne succumberet. Grande itaque sodalicium iuvandis matrimoniis christianis institutum praeside ipso vicario generali Vindobonensi consilium sodalium suscepit moderandum, P. Foreitnik autem in Daniam concessit. Ibi Hauniae (*Kopenhagen*) vix paululum vires receperat, cum in novos labores se coniecit otium non sustinens. Mira igitur se accommodandi facilitate, cum primum linguas danicam et polonicam didicisset (multi enim Poloni quotannis Daniam petunt laborem eiusque mercedem quaerentes), varios missionis labores sive consuetos sive sibi insuetos alacer suscepit et dexteritate sua acutoque ingenio perfecit, Hauniae in schola docens, vel in ecclesia confessiones excipiens, vel in valetudinario infirmos curans, vel sororibus religiosis in exercitationibus spiritualibus praedicans, vel foris in oppidis vicisque catholicos dispersos invisens eisque in sacellis precariis sacrum faciens et s. sacramenta administrans. Etiam Bohemos suos in Germania Bremis, Hamburgi (*Schiffsbeh*), Delmenhorstii in Oldenburgio iterum missionum more visitavit eis praedicans et sacramenta administrans. Quod praecipuo gaudio replebatur, si quando sponso desperatos per aspera viarum in iusti matrimonii portum perducere potuit, quis est qui miretur?

Ita quattuor linguis, danica, germanica, polonica, bohemica laborans omnium, qui eum cognoverant, amorem sibi conciliavit. At nec tunc cor-

poris vires animo suffecerunt. Sub finem mensis augusti monialibus ordinis Cisterciensium exercitiis praefuit, sed domum reversus aegrum se esse sensit. In valetudinario catholico medicus eum vires mox recepturum esse putavit, sed aeger ad mortem obeundam se praeparare coepit, qua paucis diebus post oppressus est. Eo tempore homo piissimus nihil iam nisi de Deo et de anima sua cogitavit. S. sacramenta ipse sibi dari petiit, viatico suscepto vota religiosa statim renovavit, ac tandem die 16 mensis septembris animam bonam Deo reddidit.

Ac tum praecipue apparuit, quanti omnes eum fecissent. In urbe protestantica triginta sacerdotes catholici cum multa gente corpus ad sepulchrum deduxerunt, omnes eius discessum maerentes. Ipse autem sine dubio ad gaudia aeterna migravit. R. i. p.!